

Nicolaus Schütze Johann Günther Nüremberger

Dissertatio Iuridica De Usuris

Rostochi[i]: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732598672>

Druck Freier  Zugang



Linsen

N. Schütz (J. Günther) Nürnberg) / C

R. u. nr. 1652.

libraria

39.
26

D. D.
DISSERTATIO JURIDICA
de
USURIS,

quam

Consensu Amplissima Facultatis Juridica in celeberrimâ.

Ad Varnum Academiâ,

Sub Præfidio Viri

Nobilissimi, Amplissimi, atq; Consultissimi

DN. NICOLAI Schützen / J. U. D. P. P. &

Capit. Lubecens. Syndici gravissimi, Præceptoris
mej ætatem observandi colendi

In Auditorio Majori ad d. Junij

placide discutiendam.

exhibet

JOHANNES GUNTHERUS Nörrinberger /

Anst. Th. A. atq; Resp.

ROSTOCHI,

Typis Nicolai Kilij, Acad. Typograph. A. 1652.

37
D.D.
DISERTATIO JURIDICA

DE

Capitulum de officio Syndici in ecclesiis

et in locis vicariis

et in locis vicariis

et in locis vicariis

DN. NICOLAI SCHUBARTII D. P. P.

Capitulum de officio Syndici in ecclesiis

et in locis vicariis

et in locis vicariis

et in locis vicariis




JOHANNES SCHUBARTII D. P. P.

et in locis vicariis

et in locis vicariis

et in locis vicariis



D. S. F. A. S.

§. I.



Multa & diversa, eaq; acerrima est circa permissionem usurarum disputatio (1.) Aliqui Dd. eas de Naturali, Divinô, Canonicô, & civili, adeoq; omni jure prohibitas esse contendunt. Aliqui de nullo horum id simpliciter admittunt: Quidam deniq; distinguunt, ac de aliquibus juribus, Civili puta, & consuetudinario permissas, de reliquis verò interdictas esse, atq; damnatas, asserunt. Quæ tamen omnis controversia, de usuris in genere, (uti plerumq; fit.) proposita fortasse non admodum conveniens est (2.) & si ad vivum refecetur, quod ajunt, ad usuras tantum eas pertinet, quæ mutui contractui adjiciuntur. (3.) Atq; præterea parum ferè usus habet (4.)

1. *¶* Wesemb. *π. ff. d. usur n. 6. 7. & seqq. Bacchov. ibid. Gayl. 2. Obs. 5. n. 5. & seq. Gudelin. d. jur. Noviss. lib. 3. c. 3. §. Utrum. Treutl. vol. 2. d. 3. th. 1. Bacchov. ad Eund. d. loc. Scottan. exam. jurid. ff. hic p. m. 5 44 Pfeil. cent. 1. conf. 60. Richter tr. d. privil. cred. disp. ult. pr. Christoph. von Hagen. d. usur. Molinæ. Borch. Hottom. Obrecht. & Dd. comm.*
2. *¶* Duas enim quasi species usurarum esse constat; Alteram, quidem, quæ non modò intrà limites à jure sibi præscriptos se continet, sed etiam pro usu pecuniæ, quæ creditor caret interea, modicam aliquam accessionem, justit, & æqui interesse loco (quod nullo jure prohibitum. Wes. *π. ff. hic n. 8. in fin.*) reddunt, adeoq; proximum non gravant, neq; per conseq. sunt vitie; quia ratio prohibitionis esse dicitur offensio dilectionis ergà proximum. Gayl. 2. O. 5. n. 6. per gl. in cap. seneraveris. 14. q. 3. & n. 17. pr. Altera verò est: quæ ex merà avaritiâ, sine creditoris damno emergente, ob solum lucrum, excigitur, vel etiam præscriptos sibi à legislatore carceres improbe excedit, & proximo oneri esse, eumq; mordere dicitur (unde etiam apud Hebræos nomen traxisse, tradit Gothefr. ad l. 121. ff. de V. S. lit. A.) Ideoq;
A etiam

etiam quin omni jure sint improbatæ, dubium non est: Ut rectè Flaccus non ultimam felicitatis mundanæ partem statuerit libertatem ab usuris, dum ait.

Beatus ille, qui procul negotijs
ut prisca gens mortalium.

Epod. 4.

Paterna rura bobus exercet suis,
solutus omni senore.

Proinde si quis hæc inter se diversissima, usum videlicet, & excessum, licitum, & illicitum, unâ quæstione, proponere velit, insidias struere videbitur, sive enim neget, s. affirmes, impedieris: Sin inconsultè id fiat, non sanè omninò ineptitudinis notam effugere poterit.

3. ¶ His enim solummodo, tam argumenta omnia, quàm divini paritèr, & humani utriusq; juris textus, qui contra licentiam usurarum proferruntur ut plurimum solent, obstant. Et usura, quamvis latè significatù aliquid amplius significent, specialitèr tamen, & strictim mutuo tantùm competunt, reliquis contractuum generibus non item: prout unò omnes ferè Dd. ore fatentur. Gayl. 2. O. 5. n. 1. pr. qui multos ibi allegat, & communem esse testatur. Wes. ꝑ. hic n. 4. Bacchoy. ibid. Scottan. ex. Jur. ff. h. t. p. m. 542. Gudelin. de jur. Noviss. lib. 3. d. c. 3.
4. ¶ Frustrà sanè aliquantum futuri videmur, si prolixà, atq; verbosà circà hanc quæstionem disputatione, chartis officere operam quasi navaremus. Præsertim, cum ulcerosissimum hoc seculum, (quò secundum Juvenal. Omne in præcipiti vitium sterit. Satyr. 1.) atq; feralem temporum necessitatem indies adhuc in pejus, juxta Horat. lib. 3. od. 6. in fin. succrescentem, usuras, earumq; invitam permissionem extorsisse legumlatorib. unicuiq; sit notissimum: adeò, ut inter Parentes etiam, & liberos locum inveniant. l. 6. §. 1. C. de sec. nupt. l. 24. C. de usur. Quinimò fortasse defendi posset, usuras hodiè de jure etiam Pontificiò esse licitas: quia hodiè non ut usura, sed ut interesse petuntur. prout Jctos Francosurt. respondiisse aliquando, refert. Richter alleg. tr. de privil. cred. disp. ult. Pfeil. cent. 1. conf. 61. per tot. quod interesse de dicto jur. Canon. minimè improbatum Gayl. alleg. O. 5. n. 15. Treutler. vol. 2. d. 23. th. 4. Pfeil. cent. 1. conf. 60. n. 1. neq; enim potest: facit. l. 206. ff. de Reg. Jur.

§. II.

Usuras (1.) definiunt, quòd sint Accessio (2.) ad sortem principalem (3.) solvenda propter ejus usum (4.) Alij alitèr. Sed poterunt fortè melius, defini-

definiri per fructus civiles (5.) qui propter usum principalis debiti, certâ,
& præfinitâ in jure quantitate percipiuntur (6.) Usuras autem esse, quic-
quid ultra sortem accipitur, neq; vera propositio, nedum bona est
definitio. (7.)

1. §. *Dictæ ab usu, qd. usus pretium Wes. π. ff. h. t. n. 1. Gudelin. tr. de jur. novis lib. 3. c. 3. Et ita legitur apud Ciceronem sæpius: quamvis & apud eundem pro ipso usu positum inveniatur.*
2. §. *Aliàs dicuntur etiam Obventio. l. 34. in fin. ff. de usur. Adjectio. l. 4. C. eod. redivus. l. 24. pr. ff. de præscr. verb. Gothofred. ibi in marg. lit. K. Græci vocant τὸν ἔξ: Germanicè dicimus Zinse. Vox enim Wucher in malam ferè partem abiit. Quòd verò usuræ sint accessio ad sortem s. debitum principale. l. 12. C. h. tit. id etiam earum natura arguit: Principali namq; debitò quacumq; ratione peremtò, usuræ etiam, illarumq; obligatio perit. text. in l. 26. pr. C. de usur. facit cap. Accessorium. de R. J. in 6. junct. l. 129. §. 1. & l. 178. ff. eod.*
3. §. *Sive illud, quod principalitèr in Obligationem deductum est, veluti in mutuo tantum, quantum reverà datum fuit. Capitale vulgò vocant, mutuatò, ut conjectura est, vocabulò ab Italis Gothofred. ad l. 2. C. de usur lit. p.*
4. §. *Hæc verba usuras à pœnâ evidentèr distinguunt: & semper præsumitur, debitorem ex creditò lucrum secisse, atq; tanti probabilitèr creditoris ad minimum interesse: quâ ratione & illæ usuræ, quas lucratorias Dd. appellant, quodammodo excusari possunt. vid. Bacchov. ad Wesemb. π. ff. hic ad n. 8. & 9.*
5. §. *Accessio enim est remotum valdè genus omnes fructus, alluviones, fidejussiones, pœnas, interesse, ambitù suò complectens. Matth. Stephan. vol. 1. part. 3. disp. 5. thes. 15. in alleg. Fructus autem Civiles proximè in suas species dividuntur: Usuras, redivus, interesse, pensiones, s. locaria. Nisi fortè redivus, vel pensiones, laxiori significatù, propinquius adhuc genus dixeris: vid. Scottan. exam. Jurid. ff. hic p. m. 543.*
6. §. *His verbis maximè distant usuræ ab eò, quod interest, reliqua enim definitionis verba pari modò utriq; competunt: At certa non est, nec definita in jure quantitas ejus quod interest, text. in l. 24. ff. de R. Jur. adeòq; probanda creditori eam petenti Richter in act. de privil. cred. disp. final. Bacchov. ad Wes. loc. cit. n. 8 in fin.*
7. §. *Habent ista verba Gayl. 2. O. 5. n. 4. Wesembec. & con. jur. Canon. caus. XIV. q. 3. Matth. Stephani vol. 1. part. 2. disp. 5. th. 16. & 17. Treutl.*

Vol. 2. disp. 3. th. 2. lit. f. quibus tamen verbis, quid sibi velint viri eruditissimi, me profusè lateret. Equidem ne bona definitio sit, facit quòd sit latior, quàm definitiò: & eadem ratione de pœnâ. & interesse prædicari potest: ergò cum definitiò converti nequeunt, quòd tamen, si illa probè moneat, omninò erat necessarium. Unde etiam patet, illam propositionem universalitèr veram non esse, cum multas in contrarium admittat instantias.

§. III.

Multæ, & variæ vulgò, à Dd. & interpretibus proponuntur usufructuum divisiones: Princeps atq; cardinalis ferè videtur: quæ distinguuntur in lucratorias, compensatorias, & punitorias (1.) Quæ tamen ipsa non usq; adeo commoda est (2.) & fortasse melior, aut concinnior haberi potest (3.)

1. *¶* Missis cæteris, quæ passim legenti occurrunt, distinctionibus, (quas hic ordine recensere, nec nostri instituti ratio, neq; paginarum angustia permittit,) præcipuam notare animus fuit. Lucratorias autem dicunt, quæ ex merò mutuationis officio, contra naturam contractus, lucrum faciunt: Compensatorias, quæ idèò præstantur, ut justum creditoris interesse compensent, & remunerent commodum, quòd ex pecuniâ creditâ ad debitorem pertinet: Punitorias, quæ non tam propter lucrum petentium, quàm moram non solventium, pœnæ q. s. locò, aut à lege, aut homine, instiguntur. argt. l. 17. §. 3. in fin. ff. h. tit. Sic singulas, ex comm. procul. dubiò opinione, describit. Wesemb. π. ff. hic n. 5.
2. *¶* Sive enim de primis videamus, verius loquendò absolutè lucratorie non sunt (quamvis in respectu ad reliquas ita dici queant, existimante Bacchov. ad Wesemb. d. n. 5.) sed semper præsumitur tanti creditoris interesse, argt. l. 13. §. 20. ff. de action. emt. attamen aliquando paulum remotius, & fide: vel uti ipse etiam fatetur Wesemb. loc. alleg. n. 9. ibiq; Bacchov. Deinde etiam Punitorie improprie ita dicuntur: Si respicias rationem, quæ usuræ sustinentur, & excusantur, omnes sunt compensatorie: Ubiq; enim creditoris interesse versari creditur: modò propinquius, modò remotius.
3. *¶* Nam si omninò sejungendæ sunt, dispeSCI poterunt, (1.) ratione finis: in Lucratorias, comparatè nimiram loquendò, & compensatorias. His subdistinguentis, quòd compensent interesse, vel ex morâ proveniens, vel sine eâ emergens. (II.) Ratione causæ constituentis: in conventionales, quæ scilicet obstipulationem, vel pactum, ex provisione hominis debentur: & alias, quæ stipulationis vinculo etiam non interveniente, ex dispositione legis,

legis, vel propter moram, vel aliud factum, præstandæ sunt, non incongrue
ad eò appellaveris Legales.

§. IV.

Usuras quidem extorsit partim necessitas, partim negotiationum utili-
tas: Sed ne in immensum excresceret (loquor verbis elegant. Wesemb.
ππ. ff. hic n. 8.) effrenis illa habendi alieni cupido, civiumq; facultates,
ad vivum, ut est in proverbio, depalceret, certis opus fuit finibus, cer-
tiq; limites constituendi, intra quos, tanquam carceres fœnerandi stu-
dium sese contineret. Pergimus itaq; dispectum quò modo, & quan-
titate, usuræ à legibus tolerentur. Ilte modus pro negotiorum, aut per-
sonarum varietate varius est: ejusq; supremus gradus Centesimarum
(1.) levior paulò Bessalium (2.) sequens Semissium (3.) inferior his Trien-
tium (4.) ultimus vero, & infimus Quadrantium. (5.)

1. §. Nomina hæc, quibus diversa usurarum quantitas designatur, mutuo
sumta sunt ab asse, & partibus ejus, quibus portiones determinare, juri
nostro solenne est, uti in materia testamentorum. §. 5. Inst. de hered. instit.
l. 50. §. fin. ff. eod. Appellatæ autem sunt centesimæ ex eò, quòd singularis men-
sibus (secundum quos veteres usuras stipulati sunt. Gudelin. de jur. Novis.
lib. 3. cap. 3. §. Quòd secundò locò. Treutler. vol. 2. disp. 3. th. 4. lit. A.)
centesimam sortis partem præstent, Wesemb. π. ff. hic n. 12. Treutler. d.
lit. (a) sive, quòd centesimò mense (eòdem res recidit) sortem quantitate
assequantur. Gudelin. loc. cit. Matthias Stephan. vol. 1. part. 3. disp. 5. th.
16. in alleg. pr. & singulis annis efficiunt XII. partes centesimas: juxta
nostram computationem, pro 100. Reichsthal. mens. 1. Reichsthal. annò
12. Reichsthal. Hæ usuræ centes. quamvis olim ante Justinian. in diffe-
renter essent per missæ: l. 8. C. si cert. petat. etiam Athenis ex lege Solonis,
ut autor est Dresser. millenar. quart. p. m. 504. Hodie tamen ad certos
quosdam casus sunt restrictæ, veluti. I. ad pecunias nauticas: s. creditum
marinum: l. 26. §. 1. C. de usur. quando videlicet creditor alicui pecuniam
mutuat, trans mare suò periculò vehendam d. quo est tit. ff. & C. de sanor.
naut. & Novell. 110. per quam abrogata iterum est anterior Novell. 106.
Gudelin. d. cap. 3. §. Porro. Gothofred. ad d. novell. 106. Hakelman. disp.
12. th. 19. in alleg. lit. (e.) desinunt verò hæ usuræ, quando navis ad portum
delata est. l. 4. ff. de naut. fœn. l. 1. C. eod. cessante tùm etiam periculò Cre-
ditoris. l. 6. in fin. ff. d. tit. alleg. novell. 106. princ. Hodie hanc quantitatem
de consuetudine non observari testatur Arnold. Vinn. in addit. ad Wes. hic
in fin.

in fin. Ceterum, easdem usuras centesimas etiam in terrestri credito pro-
cedere putatur, si nimirum magnum aliquod periculum, quod subest, cre-
ditor in se suscipiat. Gudelin. loc. alleg. §. de fœnore Treutl. v. 2. disp. 3.
th. 2. lit. (d) ob rationis nimirum indentitatem. II. centesimas prestare
tenetur Tutor, qui pecuniam pupillarem in suos usus convertit. l. 38. pr. ff.
neg. gest. l. 7. §. 7. & 10. ff. de ministr. tutel. III. Negotiorum gestor, qui
domini pecunias sibi usus est. alleg. l. 38. in med. ff. d. tit. Hakelmann. d.
disp. 12. th. 19. ubi dicit contra hunc expressum textum, & commun. opi-
nion. dissentire aliquem magni nominis Jurum. IV. Item Depositarius,
Mandatarius, & is qui municipij cujusdam, cujus officium gerit, nummos
propriis commodis impenderunt, clam dominis. d. l. 38. ff. de negot. gest.
Bacchov. ad Treutl. vol. 2. d. 10. th. 4. pag. m. 378. Eadem enim hic ratio
subest, quæ in negotior gest. & quoad depositarium, atq; illum qui officio
præest, facit. l. 21. ff. de R. Jur. V. Reus, qui ex actione personali con-
demnatus intra quatuor menses à die latae sententiæ Judicato satis non
fecerit. l. 2. & ult. C. de usur. rei Jud. De jure Saxon. sunt 6. hebdoma-
des: quod vocatur: Eine Sächsische frist. Idem ferè est in Camerâ.
Gayl. l. O. 113. n. 1. VI. Socius, si pecuniam communem invadens, in suos
usus converterit: quamvis mora non interveniente. l. 1. §. 1. ff. de usur. l. 60.
princ. ff. pro soc. facit. l. 82. ff. d. tit. junct. l. 45. 47. & 51. ff. eod.

2. §. Bessales usurae, seu Besses, duo trientes, aut octo unciae, quæ singulis
mensibus solvuntur: secundum nostrum calculum efficiunt pro 100. Reichs-
thal. mens. 32. schill. vel 16. gr. 2. Marktlübs. Annò autem 8.
Reichsthal juxta monetam hujus loci 16. fl. Hæ usurae certis tantum
personis jure nostro conceduntur: ut I. Mercatoribus, & omnibus qui lici-
tam negotiationem exercent. l. 26. §. 1. vers. Illos verò C. de usur. facit.
l. 2. §. fin. ff. quod cert. loc. adde Gayl. 2. O. 6. n. 3. II. Argentarius, num-
mularius. Novell. 136. cap. 4. Hi, quales fuerint, vid. apud Gudelin. de
jur. Noviss. lib. 3. c. 3. §. de fœnore Wesemb. commentar in C. tit. de
edend. Hodie nisi fallor Campsores dicuntur, die Wechseler / so das
Bancko halten.
3. §. Quasidicas semia-as: 6. uncia: quæ singulis mensibus, dimidiam par-
tem centesimarum, efficiunt; ut nos rationem subducimus, pro 100. Reichs-
thal Mens. 24. schill. seu 12. gr. hic 1. fl. anno autem 6. Reichsthal. 12. fl.
Tales usurae in genere stipulari permittitur omnibus, quicumq; sunt infra
Illustres: l. 26. §. 1. vers. cæteros autem omnes. C. de usur. etiam merca-
toribus

toribus, s. mari, s. terrâ negotiantibus. argt. l. 21. ff. de R. Jur. Specialiter
verò ad duos casus pertinent. I. Semisses Fisco solvere tenentur ejus cre-
ditores. l. ult. C. de usur. Fiscal. lib. 10. licet antea creditoribus suis, in
quorum forè locum fiscus successit, minores præstiterint. l. 17. §. 6. ff. de
usur. Ipse tamen Fiscus regulariter usuris nullis est obnoxius, nisi privati
cujusdam locum succendò obtineat. d. l. 17. §. 5. ff. d. tit. junct. alleg. l. ult.
C. de usur. Fiscal. lib. 10. II. Eisdem præstant heredes, qui legatas ima-
gines, statuasve intra præstitutum vel à Testatore, vel lege terminum fieri
non curaverint; aut aliud malitiosè, dilationis ergò, admiserint: post
exactum scil. tempus præfinitum. l. 5. ff. de Oper. Publ.

4. J. Triens est tertia pars assis, 4. uncia: quòvis mense solvendæ: In nostrâ
computatione, & materiâ, ad rationem centesimarum erunt pro 100.
Reichsthal. Mens. 8. gr. 16. schill. 1. Mareckübs. Anno, 4. Reichsthal-
sive 8. fl. Hæ pluribus casibus locum habent utpote. I. conceduntur Illu-
stribus, s. Nobilibus; & cæteris qui illos dignitate antecedunt. l. 26. §.
1. princ. C. de usur. Tales etenim personas, quæ sunt qs. lumina, atq.
columnæ Rerump. minùs decet ejusmodi quæstum quærere Gudelin. de jur.
Noviss. lib. 3. c. 3. §. Cæterùm. II. Præstandæ sunt Fisco ab heredibus, intrâ
statutum eis spatium ad extruendas statuas, imagines, text. in l. 5. ff. de
Operib. publ. III. Eas solvunt liberi alterutri Parentum de bonis mobili-
bus in dote, vel donat. propter Nuptias constitutis, in vicem ususfructus ear-
rum: si scil. de illarum restitutione idoneè cavere vel nolit, vel nequeat.
l. 6. §. 1. C. de secund. nupt. Novell. 2. cap. penult. Gudelin. de Jur. Noviss.
l. 1. c. 11. IV. etiam Maritus de rebus dotalibus mulieris mobilibus, si eas
intrâ annum à solutò Matrimonio heredibus uxoris non restituerit. l. un.
§. 7. C. de R. ux. Act. V. Præterea has usuras præstare tenetur ille, qui
promissam nupturæ dotem, antè exactum post consummatas nuptias bien-
nium marito non exsolverit. l. ult. §. fin. C. de jur. dot. nisi ad majores se
obligaverit. l. 2. C. de dot. promission. VI. Item conjux, qui, queve, contra
prohibitionem defuncti, acceptumq. eò nomine legatum, ad secunda vota
processerit: Novell. 22. cap. 24. circa med. vers. Si verò non mutaverit.
VII. Deniq. Agricola, si mutuam acceperint pecuniam, ad majores, usuras
non tenentur, quam trientales: Auth. Ad hæc C. de usur. Novell. 39. c. 1.
Novell. 33. & seq. 34. c. 1. Tantum enim efficere serè siliquas annuas in sin-
gulos solidos, tradit Treutl. vol. 2. disp. 3. th. 4. lit. C. post alleg. ibi Cujac.
3. Observ. 35. Creditor verò, qui majores usuras illis rusticis extorquere ten-
taverit, actione cadit. alleg. auth. Ad hæc C. d. tit.

B

s. J. Qua-

5. §. Quadrans, quarta pars est asis, 3. Unciæ: pro 100. Reichsthal. Mens. effic. 6. gr. sive 12. schill. aut $\frac{1}{2}$. fl. Anno 3. Reichsthal. sive 6. fl. Quales præstant Ecclesie Xenodochia, Nosocomia, &c. Si nimirum summâ necessitate id efflagitante pecuniam mutuo alieandæ sub usuris sumserint. Novell. 120. cap. 4.

§. V.

Quæ §. præcedenti de modo usurarum diximus, ita sese habent, de Jure Civili Romano Justinianeo: Cæterum hodie ex constitutionibus, sive Recessibus Imperij Quincunces usuræ, sive 5. annua in 100. promiscuè probantur. (1.) quæ in locum semissium ferè successerunt. Idem etiam obtinet de Jure Saxontum. (2.)

1. §. Exconstitutione Maximil. 1. R. A. zu Augspurgs. Anno 1500. & Carol. V. ibid. ann. 1530. & pauld. post. ann. 47. referente Hakelin, disp. 12. th. 9. in allegg. lit. (g) Addunt alij text. R. A. zu Wormbs. Ann. 1495. §. wie fünf / vnd zwanzig. R. A. zu Regenspurgt. Ann. 1535. R. A. zu Franckfurt. Ann. 1577. & novissime Deputations. Tag zu Speyer. An. 1600. §. So viel nun demnach. quos citat Richter. tr. de jur. & privil. cred. disp. ult. princ. Alios alij adducunt. vid. Treutl. v. 2. d. 3. th. 4. in fn. & in allegg. lit. (e) Matth. Stephan. vol. 1. part. 3. disp. 5. th. 16. Qui tamen text. ferè omnes de annuis solum redditibus loquuntur.

2. §. Wesembec. ff. de usur. n. ii. Hakelmann. alleg. d. 12. thes. 19. lit. (g) ubi allegat Constit. Electoral. Sax. promulgatam Ann. 1558. Quam fortasse etiam vult. Treutler. loc. cit. per verba: Ordinat. Provincial. Saxonie. Tit. von Bucher vnd Bucherern. Et generaliter hæc in parte attendendæ sunt locorum consuetudines, atq. statuta; quapropter etiam hanc clausulam: Woserne des Duchs nicht höhere Zinsen vblig / vnd breuchlich: sententiis inseri solere restatur Richter loc. sup. alleg. præjudicio quoddam in caus. Christian Maskers / zu Erfurt. mens. Mart. Ann. 1647. à Dnn. Jenens. datd.

§. VI.

Porro expositos hactenus Usurarum fines in singulis earum partibus violare, velexcedere, omnino est interdictum; omnesq. cuniculi prohibiti (1.) Si vero quis supra suæ personæ permissas, aut negotio convenientes usuras aliquid, quocunq; obtentû, stipulatus fuerit, inutile est (2.) & acceptum minuit sortem (3.) Additâ etiam pœnâ (4.) A quâ tamen regulâ pauci casus eximuntur (5.) Sed si creditor hisce usuris

con-

contentus esse nolit, paratus probare, una prius revocata intercessione admittendus est. (6.)

1. *J. l. 26. C. de usur.* Aded, ut suspecto (eum usuras majores, quam suo statui convenirent, per alium tertium stipularum esse) inficanti juramentum deferatur. *d. l. 26. in fin. C. d. tit.* Nec licet poenam in fraudem legitimarum usurarum contractui adicere. *l. 44. ff. de usur. l. 15. & seq. 16. C. eod.* Nihil ergo obest, quin valeat conventio, qua creditor in casum non solutarum minorum usurarum, majores (intra modum tamen permissum. *l. 8. C. hic*) praestari paciscitur. *l. 9. §. 1. l. 12. l. 17. ff. h. t. l. 40. ff. de reb. credit. l. 1. §. 3. ff. de pignor. l. 8. & 9. C. hic.*
2. *J. Illud scilicet, quod excedit. l. 20. ff. hic l. 29. ff. eod. l. 26. §. 1. vers. nec liceat. C. dict. t. junct. l. 8. C. si cert. per. subsistente tamen conventionem usq; ad modum legibus permissum.*
3. *J. Si scilicet sors principalis nondum soluta sit, tunc illud quod excedit modum, in sortem imputatur, s. de Capitali decedit, illudq; minus efficit, ex quo solutio facta est. alleg. sepius. l. 26. §. 1. vers. si quis C. hic l. 26. ff. de cond. indeb. Sin autem de principali debito jam dum ante solutionem ejus quod excedit, satisfactum fuerit, condicuntur *d. l. 26. ff. de cond. indeb. l. 18. C. de usur.* Praeterea veritum quoq; est, aliquid solvendarum usurarum nomine ab initio, ex credito detrahere, sub poena illius detracta partis, & ejus usurarum. *d. l. 26. §. 1. vers. Interdictio creditoribus. C. h. tit. At, quid hodie solennius, aut magis quotidianum?**
4. *J. Existimationis nempe jactura l. 20. C. qui not. infam. & manifestos atq; improbos foeneratores, etiam criminaliter extra ordinem puniri posse, post alleg. Molina. putat Treutler. vol. 2. disp. 3. th. 5. lit. (e) Hakelmann. disp. 12. thes. 20. Matth. Stephani. vol. 1. part. 2. disp. 5. thes. 16. quam poenam ex constitut. Imperial. in currat Notarius super contractu usurario instrumentum conscribens. vid. apud Gayl. 2. Observ. 4. n. 1. & 2. Et foeneratores, qui hunc questum solum norunt, atq; ut familiarem exercent, gravissime taxat post alios Pfeil. cent. 1. conf. 60. num. 4.*
5. *J. Ut pactum Antichreseos. l. 14. & l. 17. C. de usur. II. Mutuum fructuum l. 23. C. eod. add. Gothofred. ad d. l. 23. lit. (r) & (s) in quibus nimirum, & fructuum nascendorum incertitudo, & inconstans earum rerum pretium suasit, sines legitimarum usurarum aliquomodo posse excedi, nec de superfluo creditorem teneri. Aded, ut nec agricolae: de quibus diximus. §. IV. num. 4. excipiat. Auth. ad haec C. de usur. Novell. 32. cap. 1. & seq. 34. c. 1. Secundum*

cundam quos textus Agricola in frugibus solvunt centesimas usuras, & semi unciam: sed Omnes illos corruptos, ait Molin. de usur. num. 65. & seqq.

S. VII.

Videamus nunc quomodo oriatur usurarum obligatio: Id fit duobus modis. Ex conventionione, stipulationis certæ (1.) instructi juris contractibus, Pacti vero in bon. fid. judiciis (2.) Absq; conventionione non nisi ex morâ (3.) in omnibus b. fid. judiciis (4.) An vero etiam in actionibus stricti juris hoc procedat, valde est inter Dd. controversum (5.) Sed hæc disceptatio hodie vix alicujus est momenti: cum praxi indies observari videamus, tam in mutuô, quàm bon. fid. judiciis, usuras à tempore moræ, & peti, & adjudicari (6.)

1. *J. l. 1. l. 3. C. de usur. l. 24. ff. de præscr. verb. Novell. 136. cap. 4. Gudelin de jur. Noviss. lib. 3. cap. 3. S. De sænore. diximus: certæ: l. 31. & l. 41 in fin. ff. hic d. Novell. 136. cap. 5. in fin.*
2. *J. l. 26. S. 1. & l. 28. ff. de pos. sed in continenti adjecti. l. 24. in fin. ff. d. tis Hic notandum, quod de Jure Civil. Romanô usuræ, sænebris pecuniæ in stricti juris judiciis ex pacto non debeantur regulariter. l. 30. ff. hic l. 3. l. 22. C. eod. alleg. Novell. 136. cap. 4. Exceptis tamen quibusdam casibus, veluti ex pacto expresso. I. in pecunijs à civitate creditis l. 30. ff. h. r. II. in pecunijs trajectitiis. l. 7. ff. de nautic. sænor. III. in creditis argentariorum. alleg. Novell. 136. cap. 4. IV. in mutuô frumenti, vel alius ejusmodi quantitatis. l. 12. C. de usur. Ex tacitô autem, V. Si debitor per multos annos (aliqui enim ipsi nihil præjudicant. l. 7. C. h. junct. l. 102. ff. de solution.) usuras majores solverit, quàm ante conventum esset, arg. l. 13. & l. 17. S. 1. ff. de usur. l. 5. C. eod. Gothofr. ad d. l. 7. lit (b) De annorum istorum numero Dd. addubitant: ego judicis arbitrio relinquendos duxerim. An autem longi temporis præstatio ad inchoandam planè obligationem usurarum sufficiat? Negat post alleg. ibi Borcholt. de usur. Matth. Stephan. vol. 1. part. 2. disp. 5. th. 15. Eandem tamen onus probandi contrarium in debitorem transferre tradit per allegg. Treutler. vol. 2. disp. 3. thes. 3. lit. (C) Cæterùm si usuræ per pactum promissæ in str. jur. contractibus, vel in b. fid. ex intervallô adpositum solvantur, neq; imputantur in sortem, neq; condici queunt. l. 3. C. de usur. l. 5. S. 2. in fin. ff. de solut. l. 102. S. 1. ff. eod. facit l. 1. ff. de pact. & l. 1. ff. de const. pecun. Hodie autem ubi earundem virium esse creditur pactum, ac stipulatio. Matth. Stephan. vol. 1. part. 2. d. 6. th. 13. Wesemb. π. ff. de pact. n. 9. qui allegat*

ihj

ibi Br. Bl. & Jason. Dn. D. Johanni von Gettel hospes arg. fautor meus
summopere colendus: coll. contract. disp. de fidejussor th. 4. lit. (D) hac
scrupulosa inter pactum & stipulationem distinctione opus non est.

3. J. Debitoris videlicet, si opportunè loco, & tempore interpellatus solutio-
nem malitiose distulerit. l. 32. ff. h. tit. Controvertitur hic à Dd. an unica
interpellatio extrajudicialis debitorem in morâ constituat? Aliqui negant.
Affirmativ. tenent post alios Treutler. vol. 2. disp. 3. thes. VII. lit. (C) Matth.
Stephani. vol. 1. part. 2. disp. 5. th. 18. Gayl. 1. Obs. 28. n. 5. ubi dicit hanc
esse communem, per alleg. ibid. l. 87. §. 1. ff. de legat. 2. Cautius sanè fece-
rit, qui sæpius interpellat, & de solutione debitorem admonet. Matth. Ste-
phan. loc. cit.
4. J. l. 3. §. 1. l. 32. §. 2. ff. h. tit. l. 13. C. eod. l. 24. & seq. 25. C. depositi. l. 28.
& 29. §. 1. ff. eod. tit. l. 1. & 3. C. d. t. Wesemb. π. ff. h. tit. n. 2. & 3.
Treutl. vol. 2. disp. 3. thes. 6. Bacchov. ad Wes. d. loc.
5. J. Quidam dicunt, usuras in bon. fid. judicium deberi à tempore moræ, in
stricti Juris verò actionibus, à lite demùm contestatâ, moti. l. 3. §. 1. l. 35.
l. 38. §. 7. ff. h. tit. 19. in princ. C. eod. l. 31. pr. ff. de reb. cred. l. 78. princip.
de V. O. In quâ sententiâ sunt Wesemb., Coras., Scottan., Corvin. &
alii quidam. Aliqui contra, in b. f. actionibus convenientes, ajunt, usuras
in stricti juris judicium, nequidem post litem contestatam incipere deberi,
Sed solum per stipulationem: Cui opinioni subscribunt gloss. & Dd. comm.
in l. 1. C. de cond. indeb. ut refert. Bacchov. ad Wesemb. d. l. n. 3. & id: ad
Treutl. vol. 2. disp. 3. th. 3. Eric. Hedemann. Valentin. Förster; Treutler.
Hakelmann. Matth. Stephani & c. neq. illis obstat. alleg. l. 35. ff. h. t. quam
explicant ex l. 1. C. de judic. neq. d. l. 38. §. 7. ff. d. tit. quia ille textus
loquitur de fructibus: vid. Hakelmann. disp. 12. th. 17. lit. (e) & Bacchov.
loc. præcit.
6. J. Berlich. part. 2. conclus. 38. n. 10. 13. & seqq. Rauchbar. lib. 2. quest. 26.
n. 20. Christoph. von Hagen/ tr. de usur. usurar. cap. 5. n. 228. Quos cum
alijs refert, arg. sequitur Richter. part. 2. decis. 74. num. 17. per cit. ibi
text. N. A. zu Spener. de Ann. 1600. & tract. de jur. & privil. credit. disp.
ult. §. Procedit nostra. Fortè, quod hodie omnes contractus, & actiones
bon. fidei esse credantur: uti censuisse Jason. & Zasium meminit Gotho-
fred. in l. 31. ff. de reb. cred. plures astipulantes refert Azarias Sturk.
disp. methodicar. p. 2. disp. 7. th. 3. lit. (d) in alleg. vid. Treutler. vol. 1. disp.
19. thes. 2. lit. (c) vel, quod magis crediderim, quia usura hodie non ut tales

accipiuntur, sed loco legitimi Interesse: jung. supr. §. 1. num. 4. Ad cuius
prestationem etiam in stricti juris actionibus, debitor obligatus est creditori,
Pfeil. centur. 1. d. conf. 60. n. 1. per allegg. ibi iura & est text. express. in l.
13. ff. rem rat. hab.

§. IIX.

Sistitur autem cursus usurarum. I. Sorte principali quocumq; modò so-
lutà, aut obligatione peremtà (1.) II. Si ad quantitatem Capitalis succre-
verint (2.) III. Si expressè à creditore fuerint remissæ (3.) Minuuntur
verò, i. e. pro parte definunt: si creditor per multos annos (4.) minores,
quàm pactus erat, acceperit (5.)

1. §. Puta solutione, acceptilatione, novatione, delegatione, confusione, pra-
scriptione, liberationis legatò, compensatione, &c. l. 18. ff. de novat. l. 43.
ff. de solut. & argt. l. 1. ff. de acceptil. l. 11. & seq. ff. de compens. Idg. ex
accessorij, quale sunt usurae. l. 26. pr. C. hòc t. naturà, quæ principali actio-
ne non subsistente, nec ipsa locum habet. l. 129. §. 1. & l. 178. ff. de R. J.
cap. Accessorium. eod. in 6. Sub solutione autem hic complectimur quoq;
depositionem ritè factam: l. 2. l. 6. & l. 19. C. hìc. quà itidem usurarum
cursus interrumpitur l. 7. ff. de usur. d. l. 6. l. 11. & l. 19. C. eod. tit. Notatà
etiam cautelà alleg. l. 6. C. d. tit.

2. §. Hic modus usuris peculiaris est, quoddà nimirum, ultra duplum sive
alterum tantum (in quò etiam sors continetur) non currant. l. 9. ff. hìc l.
26. §. 1. de cond. indeb. l. 4. §. 1. ff. de naut. faenor. l. 27. §. 1. C. hòc tit.
Novell. 121. cap. 2. Novell. 138. & Novell. 160. princ. Ne pignoribus qui-
dem eò nomine intervenientibus. d. l. 27. & l. 19. ff. mand. quò casù olim
licuit. alleg. 27. C. d. tit. quod autem suprà solutum est, repetitur condi-
tione debiti. vid. Carpzov. ad const. Saxon. 30. defin. 27. Præterea no-
tandum, quòd hodiè novò jure omnes usurae, quàmvis particulatim & di-
versò tempore soluta, illam alterius tanti computationem ingrediantur.
l. pen. C. hòc tit. Novell. 121. in rubr. & c. 2. Novell. 138. quòd ante Justi-
niani leges has secùs erat. l. 10. & ult. C. hìc: quò scil. jure, ita demùm
alterò tantò debitor adjuvabatur, si usurarum quantitas simul soluta du-
plum æquaret. d. l. 10. Sed excipe à thesi: creditum civitatis, quòd illa
sub usuris dedit mutud. Novell. 160. cap. 1. Aliam limitationem assert.
Richter. alleg. suprà tract. de privil. creditor disp. ult. Ubi dicit hanc regu-
lam non procedere, si creditor debitum suum, (quantumvis instantissimè
urgens) consequi, nequeat, vel ad preces debitoris certi temporis dilatio-
nem.

nem ei concesserit. Additis insuper præjudiciis: ad requisit: Senatus Ill. Zeulenroda M. Jul. Anno 39. & den Wangenheimischen Erben. M. Octob. A. 40. Item Mens. Mart. A. 44. Senatui zu Arnstadt/ datis. Quam sententiam, (utur de consuetudine pronunciandi, quam ibi memorat, ita receptum sit) propter illimitatam textuum generalitatem, & repetitam toties prohibitionem, ex jure civili ego non defenderim.

3. §. Juri quippe suo, excluso tertij præjudicio, quemlibet renunciare posse, certum est: per text. in l. 156. §. fin. ff. de R. J. facit §. 40. Inst. de R. D. & l. 21. C. mandat.
4. §. l. 13. ff. de usur. l. 17. §. i. ff. eod. Sed quantum temporis, per verba: multos annos, leges requirant, Dd. addubitant. Gothofr. existimat, ad l. 5. C. h. t. lit. (r) ad exceptionem reo triennium sufficere: quod mihi nondum persuasi. Ad minimum requiri putem, 10. vel 20. annos & multo magis ob stare 30. ann. utpote quibus alias personales actiones præscribuntur. l. 3. pr. C. de præscr. 30. vel. 40. annor. Nisi hoc omne negotium ex judicis arbitrio pendere malueris: expendendò verba: ac per hoc non recessisse eum: l. 8. C. hoc t. Hoc addimus, usuras etiam totaliter ejusmodi præscriptione, aut tacitò pactò, perimi: si nimirum remittendi animum debitor possit probare d. l. 17. §. i. ff. hic.
5. §. Sine potestatione l. 8. C. hoc tit. tunc enim creditori majores postmodum petenti, obstat exceptio doli, aut pacti l. 13. ff. h. t. l. 17. §. i. ff. eod. junct l. 5. & dict. l. 8. C. d. tit.

§. IX.

Effectus usurarum varij sunt, interq; eos hi propemodum præcipui: I. quod arguant Sortem principalem (1) II. elidant exceptionem non numeratæ pecuniæ (2.) III. Deponens eas accipiens privilegij depositi non fruatur (3.) IV. Pariant retentionem pignoris, forte etiam solutâ (4.) V. Venditor illarum acceptione cessisse credatur pactò legis Commisforiæ (5.) VI. Creditor futuri temporis usuras recipiens, tacite pactus videatur, se intrâ illud tempus sortem non esse petiturum (6.) VII. Transferant periculum dotis exigendæ in maritum (7.) VIII. Impediant executionem (8.) IX. auferant creditoribus beneficium separationis (9.) & actionis Paulianæ (10.)

1. §. Cothmann. part. 1. consil 36. n. 41. 314. & seqq. Illudq; ex sæpius dictâ suâ Indole. Omnis nimirum accessio est indicium sui principalis, & demonstrat, illi, cui accedit: quia absq; illò esse non potest. l. 26. pr. C. hic.

2. §. l. 4

2. *§. l. 4. l. 14. §. 2. C. de non num. pecun. Debitor enim usurarum solutionis debitum principale agnovisse, adeoq; exceptioni huic renunciaſſe, à jure præſumitur d. jam l. 4. C. d. t.*
3. *§. Sed habetur inter perſonales creditores l. 24. §. 2. ff. de reb. autor. jud. poſſ. junct. l. 7. §. 2. ff. de poſ. Aliud enim eſt deponere, aliud credere d. l. 24. §. 2. ff. d. titul. Si tamen nummi extant, vindicare poſſunt alleg. l. 24. Idem eſt, ſi eas acceperit creditor poſt moram depositarij d. l. 7. §. 2. de poſ. Richter. tr. de privil. cred. diſp. 3. p. (mibi) 53. Treutl. vol. 1. diſp. 26. th. 7. lit. (b) Privilegia autem, quibus hoc modo deponens cadit, conſiſtunt potiſſimum. I. in præferentiâ, quâ in concursu gaudet. d. l. 7. ff. de poſ. II. quod deponenti nequeat opponi compenſatio. l. final. C. de compenſ. l. penult. C. de poſ. III. Quod instrumentum depositi habeat paratam executionem. l. 14. §. 1. C. de non num. pecun. Treutl. loc. cit. lit. (D.)*
4. *§. l. 4. & 22. C. de uſur. ſi ſcilicet vel ex ſtipulatione, vel pacto debeantur: Peti enim ex pacto non poterant de jure civili. l. 13. & d. l. 22. C. d. tit. quò pacto deſiciente, pignoris retentio ceſſat. d. l. 4. C. hîc.*
5. *§. l. 4. C. de pacto. int. emtor. & argt. l. 6. in ſin. ff. de leg. Commiſſor. cum l. ſeq. ff. eod. Scottan. exam. Jurid. eod. p. m. 473.*
6. *§. l. 14. in ſin. ff. de pacto. l. 57. ff. eod. l. 2. §. 6. ff. de dol. mal. & met. except. Matth. Stephani. vol. 1. p. 2. diſp. 6. th. 7. opponendâ creditor, ſi contra faciat, doli, pactive exceptione. d. l. 2. §. 6. ff. de dol. & met. exc.*
7. *§. Maritus quidem regulariter periculum dotis ab extraneò promiſſe non præſtat, ſcil. ſi promiſſorem facultatibus labi, ſicq; dotem nullam fieri contingat. l. 33. ff. de jur. dot. l. 71. ff. eod. junct. l. 66. in ſin. ff. ſol. matr. Niſi, uſuras accipiendò, nomen ſecutus ſit, d. l. 71. ff. de jur. dot.*
8. *§. Chyrographum recognitum paratam executionem habere conſtat: Quod ſi tamen reus excipiat: uſuras ſorti mixtas & de illis rursus alias jam per executionem, contra jura, exigi, paratus aſſertum in continenti probare: audiendum illum putant, maxime, ſi non ſubſit calumnie ſuſpicio. Treutler. vol 2. diſp. 3. theſ. 5. lit. (f) qui ibid. allegat etiam Conſtit. Elect. Sax. & Moller. lib. 2. ſemenſtr. 19.*
9. *§. l. 1. §. 10. ff. de ſeparat. Nam ſi creditores uſuras, pignora, vel ſidejuſſores acceperint ab herede, ejus fidem videntur elegiſſe, eumq; pro debitore agnoviſſe: à quò poſtea ad benef. ſeparationis reverti non poſſunt d. l. 1. §. 10. ii. & 15. ff. d. t. Ludov. Coppel. diſp. Inaug. d. concurs. cred. habitâ Jenæ. A. 25. th. 9.*

10. §. Id e. impediunt, s. excludunt revocationem eorum, quæ in fraudem creditorum sunt alienata l. 10. §. 10. ff. de his q. in fraud. cred. quæ aliàs creditoribus contra possessores competit §. 6. Inst. de action. l. 38. §. 4. ff. de usur. l. 1. & 10. & tot. 1. ff. quæ in fraud. cred. ratio hic eadem est, quæ enim præced. 9.

§. X.

Usuræ autem usurarum, quod vocatur Anotocismus omni modo sunt prohibitæ (1.) Et singulare usurarum jus, atq; privilegij instar est, quod debitor simpliciter aliquid solvens; id dedisse credatur prius in Usuras, (2.) & si plures usuras debeat, prius in antiquiores (3.)

1. J. l. 28. C. de usur. l. ult. pr. & vers. id eod. C. de usur. Rei jud. l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 26. pr. & §. 1. ff. de cond. indebiti. Nec licet usuras in sortem redigere, s. Capitali adnumerare, & de illis rursus alias exigere. d. l. 28. C. de usur. ubi dicitur: hoc ante Justiniani constitutionem licuisse. Neg. in usuris rei Judicata, de quibus diximus. §. IV. num. 1. Usuræ debentur universæ quantitatis sententiâ comprehensæ, sed sortis tantum l. final. 3. C. de usur. rei Jud. Quod autem tutor usuras præstare teneatur earum usurarum, quas à debitoribus pupilli exactas, in suos usus converterit, l. 7. §. 12. ff. de administrat. tutel. l. 58. §. 1. & ult. ff. eod. ratio hæc est: quod tunc non amplius sint usura, sed revera sors, cui accedit favor impuberum.

2. J. Nam aliàs regulariter sors, tanquam antiquius debitum, & prior causa, prius etiam minueretur l. 5. pr. ff. de solut. l. 97. l. 102. §. 2. ff. eod. quod tamen secus est. l. 21. C. de usur. junct. l. 1. C. de solution. Debitor enim (in cujus ar. birriõ positum erat, exprimere quod potius debitum velis solutum) nihil adjiciens, eò ipsõ electionem illam transfert ad creditorem. d. l. 1. C. de sol. l. 1. pr. ff. eod. & l. 88. in fin. ff. d. t. Wesemb. 7. ff. eod. n. 7. Si igitur debitor addat, se, cum usuras etiam deberet, hoc solutum velle in sortem: creditor accipere non debebit. l. 2. ff. de sol. ne, contra agens, jure suo cadat dd. sup. II.

3. J. l. 102. §. 2. ff. de sol. & l. 5. pr. eod. tit. Imò, quamvis solvens creditor nominatim exprimat, se hanc summam velle imputari & Capitali, & usuris: nihil tamen sortis decedet, nisi antea omnibus usuris solutis d. l. 5. in fin. ff. d. 1.

§. XI.

Prò consequendis deniq; usuris remedia juris, & actiones hæc suppetunt.

C

vunt. I. Si ex stipulatione debitæ fuerint, datur condictio certi (1.) II. Si ex pacto legitimo similiter condictio certi (2.) Si ex adjecto contractui b. f. in continenti, tunc inest actioni principali ex illò contractù (3.) Sin strict. juris, actionem non parit, sed solum exceptionem (4.) simili ter si ex intervallò adjectum sit pactum, actio non datur (5.) An autem exceptio, & retentio pignoris eò nomine detur videndum (6.) Hæc si ex conventionem petantur. III. Si verò ex morà debeantur, eadem, quæ capitale, actione petuntur (7.)

1. ¶ *Quamvis fors principalis jamdùm sit ex soluta l. 1. C. de judic. nec interrumpitur per litis contestationem, d. l. 1. junct. l. 35. ff. de usur.*
2. ¶ *Pacta quippe legitima, qualia sunt quæ supr. §. VII. n. 1. recensimus, tanquam lege aliqua in mixta ad actionem producendam efficacia esse constat ex l. 6. ff. de pact. Vvesemb. x. eod. n. 4. Conditionem autem certi hic generaliter dicimus, quatenus nempe omnibus obligationibus, s. re. s. verbis, s. consensu contractæ sint, competit. l. 9. §. 1. & 3. ff. de reb. cred. Scottan. exam. jurid. ff. eod. p. m. 378. Treutl. vol. 1. disp. 20. thes. 10. lit. A.) in allegg. Aliàs manifestum est, eam specialiori significato mutuo esse propriam princ. Inst. quib. mod. re contr. oblig. Treutl. loc. cit.*
3. ¶ *l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 40. circ. med. ff. de reb. cred. & actionem informat. argt. l. 4. pr. ff. de leg. Commissor. Treutl. vol. 1. disp. 6. thes. 10. lit. 6.*
4. ¶ *l. 3. C. de usur. Adeoq; retentionem pignoris admittit l. 4. & 22. C. eod.*
5. ¶ *l. 7. §. 4. & 5. de pact. l. 45. ff. eod. junct. l. 10. C. d. r. De jure scilicet civili Romanò, Cæterum moribus hodiernis sublatò stipulationis usu: conj. §. VII. n. 2. in fin qui etiam ex pacto adjectò ex intervallò, uti loquuntur Dd. actio detur, dubium non est. Treutl. vol. 1. disp. 6. th. 9. lit. b.) facit l. 1. ff. de pact. l. 1. de const. pecun. l. 95. §. 4. ff. de solution.*
6. ¶ *Pacta ad agendum insufficientia, reo ad exceptionem beneficiò Prætoris prodesse, triti quidem juris est per text. in d. l. 7. §. 5. in fin. & 6. ff. de pact. l. 13. C. eod. l. 4. C. de usur cum similib. Sed de hóc in discursu.*
7. ¶ *Est enim obligatio usurarum non sepe rata, sed accidens, & adherens obligationi principali, adeoq; etiam simul in judicium venit, argt. l. 1. C. de judic. & l. 4. C. de pos. Hinc est, quòd sorte principali solutà (quam creditor absq; reservatione, & protestatione de usuris recepit) usura solæ peti nequeant. Sed tacite videantur remissæ: argt. l. 13. & 26. pr. C. hic. text. express. in d. l. 4. C. de pos. Pfeil. cent. 1. consil. 60 n. 19. In omnibus enim liberationum speciebus, etiam accessiones liberari triti juris est l. 43. ff. de solut. & l. 18. de novat. adde §. IIX, n. 1. facit l. alleg. 26. pr. C. hic & l. 3. in fin. C. de fruct. & lit. expens.*

§. XII. Co

Coronidis, s. auctuarij locó sit, quod Fidejussores regularitér ad usuras obstricti non sint (i.) Et in concursu Creditorum usuras eadem prioritate, atq; præferentia, quâ ipsum Capitale, esse adjudicandas, & exsolvendas (i.)

1. §. l. 68. pr. & §. i. ff. de fidejussor l. 10. pr. C. eod. l. 17. §. ult. ff. ad Municipal. l. fin. de fidejuss. Azar sturtz. disput. methodic. part. 2. disp. 2. thes. 9. lit. (b) per alleg. ibid. l. 22. ff. de O & A cum l. 8 ff. quod cert. loc. si nimirum ex morâ principalis accesserint d. l. 8. ff. d. t. Treutl. vol. 2. disp. 28. thes. 5. lit. (A) Exceptis tamen quibusdam casibus, veluti. I. Si in omnem causam fidejusserit text. in l. 54. ff. locati junct. l. 5. C. de pact. int. emtor. II. Vel usura debeantur ex stipulatione, quam fidejussor in se susceperit d. l. 8. ff. quod cert. loc. Gothofred. ibi ad marg. lit. (C) III. aut aliás in obligatione jamdum fuerint, tempore interpositæ fidejussionis. l. 20. C. de usur. vel deniq; IV. eas nominatim fidejussor in se receperit d. l. 54. ff. locati. l. 10. C. de fidejussor. in princ. Variè hîc Dd. dissentiunt: num quid valeat distinctio inter bon. fid. & stricti juris obligationes, in conflictu experiemur.
2. §. Altercationes de prioritate, s. protopraxiâ creditorum in concursu æquè familiares esse dicuntur, atq; obsonium in prandis, prout ex Ventur. de Valent. in Parib. litigios. l. 1. c. 13. n. 15. refert David Gloxin. disp. inaug. de præferent. cred. hab. Rostochy A. 1624. th. 1. Opera ergo pretium fore duximus hanc thesin subnectere; quæ probatur ex l. 18 ff. qui Potior. in pign. ibiq; Bl. & Br. & facit C. Accessorium. de R. J. in 6. Richter alleg. sæpius rr. de privileg. credit. disp. ult. §. Hisce ita premisus. Ubi tamen addit, hanc regulam procedere, si bona ad satisfactionem Capitalis, omnibus creditoribus sufficiant: tum priori ordine sortem, cum usuris adjudicari, deinde sequenti, & dein. eps quoad aliquid superest facit l. 98. ff. de R. J. Sin non sufficiant: prius unicuiq; sortem, deinde, ex eò quod restat, singulis etiam usuras, secundum prioritatis gradum, adjudicari. Coler. de process. exec. p. 1. 6. 10. n. 16. Vvesemb. conf. 50 n. 34. Köppen. q. 28. n. 11. Jcti. Altorphin. conf. 59. in fin. quos allegat, & sequitur Richter d. loc. §. prædicta verò assertio. facit, quòd prior ordine de lucrò certet, posterior de vitandò damno: quò casu illum præferri, iniquum foret l. fin. §. 2. in fin. C. de codicill. l. 206. ff. de R. J. argt. l. 6. in fin. C. de jur. dot. Gayl. 2. obs. 86. n. 7. An autem hæc distinctio attendenda sit, discussus aperiet. Nam verò, & quomodo

modò de J. Sax. res se habeat. vid. Richter. loc. alleg. §. His ita præmissis. &
Novell. Elector. Augusti. part. 1. Constit. 28. Altinò observandum, hanc limita-
tionem ad anichresin non extendi debere. Nam creditor fructus, vi talis
pacti perceptos, restituere, ac in commune, ut inde reliquis creditoribus satis-
fiat, conferre non tenetur; ne scilicet labore suo, operis & sumptibus, quos
in percipiendos fructus erogavit, iniquè frustetur. vid. Carpzov. ad const.
Elect. 28. des. 165. additò Præjudiciò Don. Jenens. Scabinn. ad requis. des
Ampts Secretarii in Glauche. M. Jun. Ann. 1640. ex Richter. loc. præcitat.

Fufius hæc omnia tractari potuissent, nisi statutum Academi-
cum concisos nos esse jubeat: hic ergo subsisti-
mus: agentes.

D. O. M. G. Æ. M. A.

QUæ de USURIS proponis dogmata legum-
mi Günthere, docent: jura Tuum studium.
Pergito sic doctè doctorum volvere libros
præclarum ut nomen, progeniemq; Patris
Conserve. Virtus Patris in prole vigebit,
& lætus tandem præmia digna feres,


Præxim. Dn. Respond. amico, ac convict. olim,
uti & nunc, suo honorando hæc pauc.
pos.

Johann. Henning: von Getel.

NE dubites jactas bene sustinuisse sagittas;
Arma resistendi docta dat ingenium.
Nascetur tibi doctriinæ hinc satis amplus acervus,
Captaq; sic satages vota replere Patris.
Pergito ceu pergis, sic clarum nomen habebis
Aonides referent digna Brabeja Tibi.

Reinholdus Perbandt, Regiom. Boruf.
Phil. atq; S.S. Theol. Stud.





10. §. *Id e. impediunt, s. excludunt revocationem eorum, q
ditorum sunt alienata l. 10. §. 10. ff. de his q in fraud. cre
toribus contra possessores competit § 6. Inst. de actio
usur. l. 1. & 10. & tor. t. ff. que in fraud. cred. ratio h
enim preced. 9.*

§. X.

Usuræ autem usurarum, quod vocatur Anatocismus
prohibitæ (1.) Et singulare usurarum jus, atq; privileg
debitor simpliciter aliquid solvens; id dedisse credaru
(2.) &, si plures usuras debeat, prius in antiquiores (3.)

1. §. l. 28. C. de usur. l. ult. pr. & vers. *id eod C. de usur. R
quib. caus. infam. irrog. l. 26. pr. & §. 1. ff. de cond. in
usuras in sortem redigere, s. Capitali adnumerare, &
exigere. d. l. 28. C. de usur ubi dicitur: hoc ante Justini
licuisse. Neg; in usurus rei Judicatæ, de quibus diximus
re debentur universæ quantitatis sententiâ comprehens
l. final. 3. C. de usur. rei Jud. Quod autem tutor usura
earum usurarum, quas à debitoribus pupilli exactas, i
terit, l. 7. §. 12. ff. de administrat. tutel. l. 58. §. 1. & u
est: quod tam non amplius sint usura, sed revera sor
impuverum.*

2. §. Nam alias regulariter fors, tanquam antiquius deb
sa, prius etiam minueretur l. 5. pr. ff. de solut. l. 97. l. 10
tamen secus est. l. 21. C. de usur. junct. l. 1. C. de soluti
(in cuius ar birriò postum erat, exprimere quod potius
rum) nihil adjiciens, eo ipsò electionem illam transfe
d. l. 1. C. de sol. l. 1. pr ff. eod & l. 88. in fin. ff. d. t. V
n. 7. Si igitur debitor addat, se, cum usuras etiam deb
velle in sortem: creditor accipere non debebit. l. 2. ff. de s
jure suo cadat dd. sup. ll.

3. §. l. 102. §. 2. ff. de sol & l. 5. pr. eod. tit. Imò, quam
nominatim exprimat, se hanc summam velle imputari &
nihil tamen sorti decedet, nisi antea omnibus usur
fin. ff. d. 1.

§. XI.

Pro consequendis deniq; usuris remedia juris, & ad

C

